
BREVE
MEMORIALE
Extractum ex prolixiore
DE
Statu ac progressu JANSENISMI
in HOLLANDIA,



BREVE
MEMORIALE

Extractum ex prolixiore

DE

Statu ac progressu JANSENISMI *in Hollandia.*

ADMONITIO ad LECTOREM.



Nnus est, Catholice Lector, quod scriptum, typis excusum gallicis, in lucem publicam prodiverit, sub hac inscriptione: *Memorial contenant I. une deduction sommaire &c. II. une réponse succinte &c.* Quid prius mirer aut potius? Ingenium compilatorum, eruditionem, facundiam, an calliditatem in causa adornanda, vafriciem, artemque fallendi singularem? Et quidem eruditioni, (qualis fere singulis sese paginis prodit) linguæ si addideris lenocinium, haud mirum est, si pectora tantillum mulceat apud eruditos, oculisque illudat in phaleras rei, ornatum, habitumque exteriorem magis non rarò, quam in rem ipsam intentis.

Auctores (quod colligitur indiciis minimè incertis) numero plures sunt: &, vel famosi apud Lovanienses magistri, vel in scholis lovaniensibus, recentiore earundem doctrinâ, apud famosos magistros imbuti, virique in factionem Jansenianam jurati. Scopum illi, nescio, an alium sibi præstitutum habeant, quam Jansenii, carissimi sibi capitis, cineribus parentare. Et certè Jansenium nusquam, aut doctrinam Jansenii, à sede Apostolica iteratius damnatam, à se amoliri satagunt, sed invidiosum dumtaxat ac suspectum Jansenii nomen; quasi eos non pigeat Jansenistas esse, pigeat dumtaxat Jansenistas audire.

Ipsum Memoriale simul ac luci publicæ expositum est, habuit, qui ei obloquerentur, ac scriptis refellerent; unde nolim illud modò confutare, ne aut actum agam, aut falcem mittam in messem alienam. Suffecerit si, occasione illius, depromam Memoriale alterum, de statu nempè ac progressu Jansenismi in Hollandia; breve quidem, sed

ex

ex prolixiore, euque suis causæ firmamentis munito, tabulisque ori ginalibus reborato, extractum. Quod & visum fuit eò magis apportunum, si non omninò necessarium; quia non pauci hoc tempore ex Ecclesiasticis Hollandiæ (sparsis per plebem eum in finem popularibus libellis) in id unum incumbunt, ut, si reipsa non persuadeant, persuadere videantur, totum quod hactenus per Belgium de Jansenismo fama circumtulit, nihil esse, præter infulsam fabulam, jam ante multos annos exsufflatam: nugas esse, somnia, vanaque hominum sua quærentium terriculamenta, ipsum Jansenismi nomen.

Sed litigare nolim, sintne an secus, qui rectè Jansenistæ compellentur; id ausim affirmare, & affirmo, esse in Belgio, atque in fœderatis Belgii provinciis plures esse, qui & Jansenio addictiores sunt, & doctrinæ Jansenianæ, quâ in libro ejus, dicto: *Augustinus*, quâ in quinque illius damnatis propositionibus contentæ, ex toto Sectatores. Atque id ipsum vel hoc uno (evidenti utique ac palmari) argumento demonstratur; quia nemo unus eorum hactenus (quidquid rogatus, quidquid postulatus, vel, zelo subindè tantisper excedente, provocatus) discrimen qualecunque, se inter & Jansenium: suam inter & Jansenii doctrinam, expromere conatus est. Quando (quod fit) Calvinistæ audiunt ob doctrinæ concordiam, atrocem id injuriam rati, eam facessunt à se ilicò, discrimine allato vel tenui, quo à Calvino diffideant. Injuriâ sese, nescio, an non atrociore, queruntur proscissos, dum dicuntur Jansenistæ, sed discriminis, quo à Jansenio diffideant, proferunt nihil, nihil huc usque proferre nisi sunt. An non & hoc ipso postulati discriminis defectu, summam cum Jansenio in doctrina concordiam, summamque cum illo consensionem prodant?

Quid? Jansenismum & in Belgio grassari latè, & in fœderatis eum Belgii provinciis, etiam supra modum, invaluisse, notius est, quam ut à quoquam meritò negari, aut in dubium vocari queat. Certè id & reformatam, & Catholicam religionem profitentibus notissimum. Et illi quidem, velut de Romanorum ad se accessu, suis in templis, publicas laudes, publicas Deo dedêre gratias: hi Romam, ad S: Congregationem, afflictæ protectricem Ecclesiæ, suas continuò querelas detulêre. Et quia istic vix aut ne vix quidem credi potuit, statum rei Catholicæ, in provinciis hisce adeò esse periculosum, eòque periculosiorem, quò Roma ab illis remotior, res successum quem sperabamus, optabamusque, necdum nacta est. Suasit ergò charitas,

tas, necessitas compulit ad breve hoc, sed fidum, Memoriale recurrere; atque quo res Catholica hac in partibus statu sit; quis status ipsius mali, quis in eo progressus, oculis subjicere, eorum vel maxime quorum est, ex suo quo funguntur munere, laboranti Ecclesiæ subvenire.

Hâc nos intereà spe lactabimur, fore aliquando, ut viri præstantiores, zeloque ardentiores, (ii præsertim, qui haud ita pridem pro ineunda pace in Hollandiam confluxere) de re suis velut oculis hausta persuasi, communem orbis catholici patrem, romanum pontificem (qui solus impedire potest, ne quod in provinciis nostris restat triticum orthodoxæ fidei, succrescentibus zizaniis suffocetur) informaturi sint, quò tandem, nuper enascenti, gliscenti indies, latèque nunc grassanti malo, remedium, quod & opportunius & efficacius visum fuerit, adhibeatur.

§. 1.

In quo præcipue consistat error, qui Jansenismus vocatur?

Exteriori formæ virtus interior atque pietas non semper conjuncta est. Quin & vitium virtuti oppositum ejusdem simulatione non raro contegitur. Ac quidem novellis sectis proprium ex more est sub vestitu prodire ovinæ pellis: piè, sanctèque loqui, & interim dogmata impia sensim sine sensu instillare, atque animas iis abripere in exitium. Ita æternæ veritatis oraculum Matth: 7. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.*

Ii omnes, quibus indoles hominum, de quibus nunc sermonem instituo, nota non est, nisi per speciem quandam exteriorem, modestiæ, probitatis, pietatis, ethicæ etiam rigidioris, præcipue si speciei illi adjungantur, & protestationes, quibus Ecclesiam Romanam, matrem suam: & submissiones, quibus se illius filios profitentur, ægrè admodum sibi persuadebunt, Ecclesiæ Catholicæ magnopere ab iis timendum esse. At si considerent, latentem impietatem speciè virtutis non rarò obtegi, facilè in animum induxerint, plurimum ab iis periculi Ecclesiæ iniminere; jactisque perversorum dogmatum seminibus, quibus ipsa fidei fundamenta subruuntur, fidei denique universæ ruinam exspectandam esse.

Neque nobis immorandum est multum discutiendis virtutibus, veræ ea sint an falsæ? sed ab ipsa comprimis incipiendum est doctrina, quæ ab iis

ab iis traditur passim, palamque defenditur, ac multis, plebi præsertim imperitiori, inculcatur. Nec discutiendum pressius, quid præcisè docuerit Jansenius: & an liber illius quinque damnatas illius propositiones in sensu earundem hæretico contineat? Definivit id pridem sedes Apostolica: sufficerit omninò, si, quæ in punctis quibusdam particularibus, sed & fundamentalibus, doctrina eorum sit, & quibus ea limitibus adstringatur, expendimus, definienti interea Ecclesiæ & de doctrina Jansenii, & de sensu illius hæretico, securè tutòque acquiescentes.

Viri in Belgio illibatè orthodoxi, & qui doctrinam Ecclesiasticorum in Hollandia, probe norunt ceu quam tradi coram vident quotidiè, censuerunt, usu ipso edocti, doctrinam illam universam, revocandam esse ad duo præcipua capita. 1. *Deum non velle salvos omnes homines.* 2. *Christum, non pro omnium hominum salute esse mortuum.* Sive: *Deum non velle salvos, nisi solos prædestinatos.* Et: *Christum, pro solorum prædestinatorum salute, esse mortuum.* Mirum dictu est, quibus illi hic utantur artibus, quæ adhibeant pigmenta; ut nempe videri possint, quæ docent, non docere: & docere, quæ non docent. Textus Apostoli 1. Tim. 2. *Qui vult omnes homines salvos fieri*, si quis alius in S. Scriptura, clarus est ac limpidus; illi verò non unam illius, alteramque expositionem comminiscuntur, sed expositiones accumulant, addensantque, unde textus ille, ad densatis in eum expositionibus, velut injectâ nube, obscurus redditur, hoc quidem illi consilio, ut doceant reipsa Deum non velle salvos omnes homines: non velle salvos, nisi solos prædestinatos, & à sensu tamen Apostoli nihil recedere, adeòque & cum ipso, omnes velle salvos, docere videantur. Octo omnino expositiones suppetiunt apud Estium, in textum illum, *Qui vult omnes homines salvos fieri*, commentantem.

Sed artificium eorum prorsus singulare est, ac formas illi se vertunt in omnes, circa mortem à Christo obitam. Edicunt rotundè: Christum mortuum esse pro omnibus: mortuum, non pro solis prædestinatis, sed etiam pro reprobis. Quid velimus plura? Sed haud acquiescendum. Si instemus, & urgeamus; quo sensu mortuum dicant pro omnibus Christum: mortuum, non pro solis prædestinatis, sed etiam reprobis? aiunt; quia mortuus pro natura omnibus communi, pro omni genere, natione, statu, sexu, ætate, conditione: pro aliquibus ex omni tempore: quia pretium, quod dedit, abunde sufficiens pro omnibus, si pro omnibus fuisset oblatum: quia etiam reprobis quibusdam dona quædam temporalia fidei, spei, charitatis &c. morte

ſua promeritus eſt. Sed eadem omnia commentus erat Janſenius, ut invidiam à doctrina ſua amoliretur. Si verò urgeamus ulterius; ſit ne ita pro omnibus, etiam pro reprobis, mortuus Chriſtus, ut pro ſalute vel unius reprobi, id eſt, hominis pereuntis, mortuus ſit? Hærebit unda: quid? negabunt, pernegabunt: præter fucos, quos faciunt imperitis, nihil ex iis elicueris: nunquam id clarè elocuturi ſunt. Quid ni? ipſum, intimumque doctrinæ eorum fundamentum eſt: *Chriſtum pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuum eſſe*, ceu quos ſolos Deus ſalvos vult. Et huius doctrinæ conſectarium eſt, neutequam ab eo ſeparabile, certum infallibiliter eſſe neminem, Chriſtum pro ſalute ſua, ut nempè ſalvari queat, eſſe mortuum.

Quis ignorat mortalium, quin, quod nos facit Chriſtianos, ſit certitudo illa infallibilis, quam quiſque habet, quod JESUS CHRISTUS mortuus ſit pro ſalute ſua, & pretio ſui ſanguinis, gratias ſibi promeruerit omnes, quæ neceſſariæ ſunt, ut & evitare peccata, virtutes exercere, & ſalutem reipſa conſequi poſſet? In hoc cardine verſatur ipſa fides, & ſpes omnis Chriſtiana. Inde in homine amor enaſcitur, quo feratur in Chriſtum, dicatque cum Apoſtolo Gal: 2. *Qui dilexit me, & tradidit ſemet ipſum pro me.* Quomodò enim amare poſſum illum, ſi verè dubitem, ſimne ego ex numero eorum, quos amavit unquam? Quomodo eum agnoſcere ſervatorem, ſi ignorem, ſit ne verè ſervator meus? Si ignorem, unquam ne pro ſalute mea preces fuderit, pro iiſque apud patrem interceſſerit, quæ neceſſaria mihi erant, ut ſalutem conſequerer, aut conſequi poſſem?

Certè tantùm abeſt, ut hæc mortis Chriſti pro Salute mea incertitudo, amorem meum provocet, incendatque, ut vel indè voluntas mea ſpem inter & metum, odium inter & amorem fluctuet. Quid enim ſi JESUS CHRISTUS, ſummo, imò unico bono, propter quod creatus eram, me excluſerit, nihilque agere decreverit, quo ab inferno eximerer, neque meliorem de mea, quam de dæmonum, ſalute voluntatem habuerit? Tantum rurſus abeſt, ut eum benefactorem meum profitear, ut vel indè beneficentiam Dei in me omnem ſuſpectam habens, in graviſſimos incidam melancholiæ affectus aut in deſperationis barathrum adigar. Neque defuère, qui ex hoc indeclinabilem pereundi neceſſitatem, (quaſi fatum quoddam ineluctabile, capiti ſuo impendens) ſuæ continuò phantaſiæ objicientes, nec a ſe abjicere valentes, ſuccubuère tandem: atque ex deſperatione in furorem acti, ultroneam mortem, ſuis ſibi manibus, conſciverunt. En tibi,

quis

quis ſtatus Chriſtiani hominis, ex eo conſurgat, ſi JESUS CHRISTUS pro ſalute ſolorum prædeſtinatorum, & non pro ſalute omnium hominum, mortuus ſit. Manifeſtum igitur eſt dogmate hoc uno, fundamentum everti religionis univerſæ. Hæc ſola incertitudo, *vere ne Chriſtus mortuus pro ſalute mea?* ſpem omnem Chriſtianam radicitus evellit, & omnes univerſim virtutes peſſumdat theologicas.

Hæc incertitudo, *verene Chriſtus mortuus pro ſalute mea?* Libertinos, aliosque quoſcunque vivendi licentiam ſibi indulgentes, in has, ſimileſque querelas, ac murmura adigit. Si libertatem vitæ nobis concedamus: Si peccata committamus. cur redarguimur, cum non peccare, omninò non potuimus? Quid de tranſgreſſa lege pleƈtimur; quid indè damnationis æternæ rei dicimur, ſi ad legem implendam auxilia defuerint neceſſaria, ceu quæ Chriſtus morte ſua commereri nobis noluerit?

Hæc incertitudo, *verene Chriſtus mortuus pro ſalute mea?* Deum cæterà benigniſſimum, rigidiorem facit, quam ſit ullus rex, turca, aut barbarus in populum ſuum, cum ſic in homine eas aƈtiones æterno cruciatu punire decernat, quas evitare, abſque gratiæ negatæ auxilio, tam ei fuit impoſſibile, quam avi impoſſibile eſt volare abſque alis. Dicere, hanc impoſſibilitatem hominis ex Adami peccato provenire, nihil aliud eſt, quam novum crudelitatis genus Deo benigniſſimo attribuere; quaſi is judici illi non abſimilis foret, qui cum reum ferreis innodârit catenis, vel crura ei infringi imperârit, illum nihilominus in pedes ſe erigere, & procurrere juberet, ni faciat, igni eum ob inobedientiam addiƈturus.

Hiſce duobus præcipuis doƈtrinæ capitibus, de Deo, videlicet non omnes homines, ſed ſolos prædeſtinatos ſalvos volente: & de Chriſto, non pro ſalute omnium hominum, ſed ſolorum prædeſtinatorum moriente, doƈtrinam ſuam de gratia accomodant; doctrinam utique myſteriorum plenam, & quam nemo conciliaverit cum libertati humani arbitrii, niſi qui, jam indè à natis primum Theologis recepta, ſanƈtâ à conſentientibus inter ſe patribus, hæreticis cauſâ libertatis definitione proſcriptâ, aliam procuderit, quæ in *vi eleƈtiva* ſita ſit, ac voluntarium non excedat.

Habe doƈtrinam eorum de gratia compendio diƈtam: Adam, aiunt, uno vetitæ arboris guſtu corruit de poſſe non peccare, in non poſſe non peccare, prædominante concupiſcentia terrena, trahente ad peccatum, niſi obſtet gratià major & victrix cæleſtis deleƈtationis, quæ neceſſitatem

indu-

inducat rectè operandi. In ſtatu naturæ lapſæ non datur in nobis libertas contradictionis, ſivè indifferentiæ proximæ, quâ, poſitis omnibus ad agendum præreqniſitis, voluntas poſſet agere, & non agere in ſenſu compoſito eorundem prærequiſitorum. Potentia libera eſſentialiter, libertate ſufficiente ad meritum, & demeritum, eſt voluntas conjuncta cum judicio rationis. In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale, & demeritum ſufficit illa libertas, quâ voluntarium ac liberum fuit in cauſa, peccato originali, & libertate Adami peccantis. Subtrahit quandoque Deus, etiam ſanctis ac fidelibus ſuis, auxilia ad cuſtodiendam juſtitiam neceſſaria. Nec tantum gratia agendi, ſed & gratia ſeu auxilium proximè ſufficiens ad orandum, quibusdam etiam juſtis, juſtè denegatur: imò orare non poſſimus, niſi Deus operetur & velle. Nulla datur in homine lapſo gratia proximè & completè ſufficiens, quæ non ſit efficax. Sine gratia efficaci nunquam habetur completum poſſe, ab actu ſeparatum. Per efficaciam gratiæ non amittitur libertas, quia voluntas à Deo, per gratiam ad actum mota, eſt voluntas: & ubi voluntas, ibi libertas &c. Quot verba, tot myſteria. Verbo dicam: gratiam, quæ à Deo datur in ordine ad ſalutem, non admittunt, non agnoſcunt aliam, niſi victricem: id eſt, non aliam, niſi quæ ſit ſingularis & efficax: quæ cor movet, & in anima operatur, irreſiſtibili virtute, ut effectus univerſus, ad quem data eſt, certò ſemper ſubſequatur, nec poſſet non ſequi: quæ dominatur ſuper hominis voluntatem invincibili imperio, eam & operi appplicando & conſenſum ipſum efficiendo; idque per vim quandam ipſi gratiæ intrinſecam, nunquam vel ab humana infirmitate, vel à repugnante concupiſcentia impediendam. Hanc gratiam attribuunt omnibus illis, ſoliſque illis, quos Deus ſalvos vult; ac per conſequens, quos ad ſalutem prædeſtinat; in cæteris verò non agnoſcunt niſi voluntatem nudam atque inermem, ſine omni gratia ad ſalutem ſufficiente. Unde primi, gratiæ ſibi à Deo datæ beneficio, invictè ſalvantur: alii, defectu gratiæ, ineluctabiliter, pereunt: & perditio hominis (ſi loquamur à lapſu Adæ) Deo magis nullam pereunti ad ſalutem gratiam largienti, adſcribenda eſt, (quæ horrenda ſanè atroxque blaſphemia eſt) quam ignaviæ ac culpæ hominis, gratiam cui cooperetur, qua & exitium devitet, non habentis. Quomodò ergò Deus Oſe: 13. *Perditio tua Iſrael: in me tantummodò auxilium tuum?*

§. 2.

Origo Jansenismi in Hollandia.

JAnsenismus, dudum diuque clam in Hollandia conceptus, exortus denique in ea est, palamque prodivit anno præter propter 1684, sub Illustrissimo Domino Joanne Neercassellio, Episcopo Castoriensi, per Belgium fœderatum eò temporis Vicario Apostolico, quandò famosus D. Antonius Arnaldus, ob Jansenii defensionem, & dogmatum, quæ tenebat, pertinaciam, è Sorbonâ pulsus, Galliâ demum totâ excesserat, veritus regio edicto comprehendi, ob frequentissima, quæ in ejus ædibus instituebantur, conventicula. Contigère hæc sub annum hujus sæculi octogesimum. Atque in Belgio Catholico aliquamdiu oberrans Arnaldus tandem securam refugii sedem in Hollandia quæsivit, & invenit.

Prædictus Illustrissimus, qui Arnaldum eo usque non nisi è longinquo salutaverat, eum à se vel accitum vel ultro venientem, percarè excepit, tanquam hominem à Deo missum, eumque Delphis in Begginagiò subsidère fecit. Hoc in asylo dilituit Arnaldus ad annum circiter octogesimum quartum, nulli hominum, præterquam Apostolico Vicario, non nullisque aliis è clero sæculari præcipuis, secretorum Castoriensis ex toto consciis, notus. Hoc nunc in loco & Arnaldus animum Illustrissimi Castoriensis regebat plenissimè, & Illustrissimus Castoriensis nihil curabat magis, quam ut Arnaldo provideret de discipulis Theologis junioribus, atque iis præsertim quos tanto magistro dignos censebat & qui dignioribus in missione stationibus videbantur aliquando admovendi. Hos igitur erudiendos suscepit Arnaldus, suisque illos novæ Theologiæ mysteriis ad unguem imbuit; quod ipsi eo facilius fuit, quia illi Lovanii, sub famosis de Jansenismo magistris, imbuti, principia nova Theologiæ jam pœnè hauserant.

Inter illos, qui Arnaldum frequentabant, illique erant assidui, fuere Petrus Codde, modo Archiepiscopus Sebastenus & Illustrissimi Castoriensis in vicariatu Apostolico successor. D: Hugo Franciscus van Huyssen, modo provicarius ultrajectinus, & inter assessores Sebasteni primus. D. Joannes Christianus van Erkel, modo à secretis capituli ultrajectini, aliisque à Sebasteno dignitatibus auctus, & nuperrimè archi presbyteratu Delflandiæ. D: Nicolaus Erkelius, Christiani patru-

 us,

us, etiam assessor Sebasteni, auditus est dicere de nepote suo Christiano, plus eum Theologiæ unicâ hyeme, doctore Arnaldo addidicisse Delphis, quam sibi annis omnino quatuor Lovanii procurarat. D: Joannes Roos, vir etiam in missione primarius olim Illustrissimi Castoriensis, nunc Illustrissimi Sebasteni assessor, de Arnaldo altum sentiens, compellarat eum Galliæ phœnicem. Ita in præfatione libelli à se editi de SS: Sacrificio Missæ 1672. Sic nempe Juventus à longe alliciebatur ad Arnaldi disciplinam, primus namque discendi ardor nobilitas magistri est.

§. 3.

Conciones habitæ ab Ecclesiasticis Hollandiæ jam inde ab annis duodecim.

ROtterodamum, percelebre Hollandiæ emporium, velut Theatrum fuit, in quo primum, sublatis siparris, Scena peracta est. Erat ibi Sacerdos quidam sæcularis nomine Andreas vander Schuur, sacellanus tum temporis in uno oratoriorum Catholicorum, cui nomen Paradisus, qui postmodum ab Illustrissimo Castoriensi, in pastoris subsidium missus est Cuylenburgum & deinde ab Illustrissimo Sebasteno admotus pastoratui Viannensi circà ultrajectum. Sumpserat ille pro instituto scopoque concionum à se dicendarum, durante quadragesimâ, quo tempore homines majore numero ex omnibus promiscuè communitatibus ad conciones confluunt, dogma tractare prædestinationis divinæ, justificationis, & gratiæ; & licet hæc materia, (quam Catholici Doctores semper judcarunt non nisi magna circumspectione, cautè, sobrieque tractandam esse) à multitudine, vel non capienda foret; vel, si caperetur, ad solidam pietatem, morumque emendationem haud magnopere foret conductura, atque etiam non nisi noxias commotiones paritura, perrexit tamen Andreas, scopumque suum implere studuit; non quidem suopte id ingenio; sed, (si fidem hominibus probæ notæ & famæ denegare nolumus) provinciam hanc illi, præ cæteris audaculo, demandarat Illustrissimus Castoriensis, approbante præsertim capitulo (ut vocant) ultrajectino, in vota Castoriensis, præ capitulo harlemensi proniore. Hinc ille audax ipsé, tantis nunc approbatoribus fretus, pluribus ante quadragesimam septimanis plebem admonuit, invitans quoslibet, ut concionibus, Sacro illo tempore, de prædicta, captumque multitudinis superante materia, à se dicendis, avidè interessent.

Jam

Jam autem omnibus illis concionibus, omni qua poterat eloquentia nitebatur oſtendere præcipue, quod Deus à Lapſu Adæ, ſeriam voluntatem non habuerit ſalvandi omnes homines: & quod JESUS CHRISTUS nunquam habuerit voluntatem ſua morte redimendi omnes homines, aut obtinendi iis gratias & auxilia, per quæ ſalvari poſſent. Auditus eſt enim in terminis poené, nedum in ſubſtantia, hæc puncta affirmare.

I. Quod Deus nulla ratione voluerit, ut vel Cain, vel Pharäo, vel Judas, vel ullus eorum, quibus Evangelium revelatum non fuit, Salvaretur.

II. Quod JESUS CHRISTUS nullo modo Sanguinem ſuum fuderit pro ſalute omnium hominum.

III. Quod hæc ex cathedra dicendo, nihil aliud proponeret, quam quod Romæ in ipſius etiam pontificis conſpectu, doceretur.

IV. Quod agendæ Deo ſint Gratiæ, quod ad eandem doctrinam in hac materia tam qui Catholicæ, quam qui reformatæ fidei ſunt, ſenſim accederent.

V. Quod auxilium gratiæ, datum Adamo, in eo differret ab auxilio gratiæ in ſtatu noſtro, quod cooperatio, ipſius arbitrio relicta eſſet, noſtro autem minimè relicta ſit.

VI. Quod nihilominus auxilium gratiæ in ſtatu noſtro non deſtruat liberum arbitrium, quia eius motum ſequimur, eâdem planè libertate, quâ Sancti in cælo Deum amant.

VII. Quod hæc doctrina non eſſet illa, quam ſummi pontifices hæreticam condemnarunt, cum ſufficiat admittere, quod voluntas reſiſtat gratiæ, reſiſtentia quæ nulla alia res eſt, quam obniſus concupiſcentiæ contra gratiam, etiam tunc, quando de ea glorioſè triumphat.

In quibus certé omnibus nihil aliud docebat Andreas, quam quod jam antè diſertè docuerat Janſenius, cuius 2 propoſitio: *interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, damnata, ut hæretica, à ſummis pontificibus *Innocentio X.* & *Alexandro VII*, non excludit in ſenſu auctoris, in quo damnata eſt, niſi reſiſtentiam, quæ cooperationem impedit, & non illam reſiſtentiam, qua obnititur concupiſcentia, etiam tunc quando voluntas cedit, & obedit gratiæ. Scimus etiam ejus 3 propoſitionem: *ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione*, damnatam ut hæreticam ab iiſdem ſupra pontificibus in quantum ad meritum & demeritum nihil aliud exigit, quam liber-

libertatem similem illi, quâ Sancti in cælo Deum amant absque coactione, sed per necessitatem, ita ut non possint non amare Deum, & resistere motui, quo in Deum feruntur.

Omnes hæ Neo-concionatoris propositiones pro ut ab auditoribus, auritis testibus, exceptæ erant, ita quoque à pluribus eorum in codicillos relatæ sunt. Verum reliquarum primaria, & quam reperiit identidem, quamque omni conatu auditoribus inculeare satagebat, hæc erat: *Quod* JESUS CHRISTUS *mortuus non sit, & sanguinem suum non fuderit, pro salute omnium hominum sed pro salute dumtaxat prædestinatorum.*

Mirum dictu est, quantum ex his concionibus commotionis turbarumque per totam urbem enatum sit. ii quidem qui se Reformatos dicunt, bonoque numero concionibus illis inter fuerant, plausum dedêre oratori, dicentes gratias Deo referendas, quod tandem suæ doctrinæ lux, Ecclesiæ romanæ illucessere coepisset: cumque oratorio egrederentur, auditi sunt aliqui hæc eadem altâ voce repetere. Addebant alii, persuasos se ministrum reformatum sibi perorasse illa, nisi pompam papalem, crucem, lumina, icones, reliquamque romanæ superstitionis supellectilem in oratorio conspexissent. Et fuêre reformati verbi ministri, qui de hac insperata mutatione publicas è cathedra Deo gratias egerunt. Orthodoxi intereà tanquam fulmine icti, ad conciones istas stabant attoniti, mussitantes & quærentes invicem, num dogmata illa, aut quæ illis similia, unquam è veritatis cathedrâ sibi proclamata, recordarentur? Quidam indè non animo dumtaxat, sed & corpore ægri, dolebant se pedem in oratorium intulisse, non deinceps ad illud redituri aut præconem illum audituri. Fuêre alii, qui judicabant, se æquè tutâ concientia, & pari salutis confidentiâ, posse esse Calvinistas quam Catholicos. Quid? qui sua damnabant consilia, quibus olim a Calvinistis, (quòd paria illic tunc dogmata offenderent) ad Catholicos transierant, de regressu cogitantes: & redierunt non nulli; alii ad gremium Romanæ Ecclesiæ se recipere, (& ad illum se receperant eò usque plurimi) omiserunt; ut fides romana ex concionibus illis stragem eo tunc loci non levem passa sit.

Hæc, scandalo juncta, quod jam enatum erat, gliscebatque indies, zelum provocarunt & acuerunt missionarii cujusdem in eadem urbe, viri in Theologia probè eruditi, qui ut staret pro avita veritate, impetumque sisteret novi huius præconis, fidem orthodoxam strenuè tutatus est; atque pro merito incensus in recentem novitatem, eam multis

exagita

exagitavit, catholicis ipsi plausum, palmamque facilè deferentibus, ac novo eum amore, novis affectus sui indiciis exindè prosequentibus. Inter alia parallelum edidit propositionum Jansenii, & nominatim quintæ: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse &c.* Damnatæ, ut *falsæ, temerariæ, scandalosæ*: & intellectæ eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus sit, ut *impiæ, blasphemæ, contumeliosæ, divinæ pietati derogantis* & *hæreticæ*, cum dogmate Neo-concionatoris in eadem materia, ut ex utrorumque collatione doctrinæ consensio appareret. Et apparuit sané ex parallelo illo consensio omnimoda, ut novator ille conticescere coactus sit, suoque ipsius silentio, nihil se inter & Jansenium, damnatamque Jansenii doctrinam, discriminis esse, palam agnoscere, respirantibus tantisper Catholicis, cum viderent confusum facili operâ Novatorem.

At verò novitas ipsa silere non potuit, ac quidem velut ex scintillula enatum incendium. Enim vero exemplum, quo Rotterodami alios præiverat dux intrepidus Andreas Schurius, plures deinde, pluribus in locis, strenuè secuti sunt. Neque civitas erat primum vicinior, remotior deinde, in qua novitas non erumpebat. Amstelodamum, Harlemium, Lugdunum, Delphi, Dordracum, ultrajectum, Amorsfurdium, Culenburgum, Viannæ, Monfordium, Gauda, nova dogmata resonabant, quæ & in pagos deindè casasque agrestium hominum, pariter cum immani commotione & scandalo, brevi diffundebantur. Et sicubi pastores metu corriperentur, ne novitatis præconio, manifestam apud suos, cum redituum præjudicio, offensionem, odiumque inciderent, per suos subsidiarios, se clam idem molientibus, novitatem prædicari satagebant: atque sic una quasi novitatis disseminatio quaquaversum per Hollandiam obtinuit.

Omnes (nomina non recenseo) viam impigre insistebant, quâ à Schurio jam præitum erat; quamvis rem illam omnes non æquè præfidenter, æque intrepide, æque frequenter peragebant. Tenebant omnes docebantque in substantiâ ac pro loco & tempore inculcabant, quod post lapsum Adæ maximæ parti hominum à Deo negaretur auxilium sufficiens, quo possent converti ac salvari. Immò ridebant auxilium sufficiens, nisi simul efficax, ac istiusmodi auxilium destinatò à Deo infinitis hominibus subtrahi: quod maxima pars hominum evitare nequeat infernum defectu gratiæ, à Deo sibi non datæ, nolente scilicet Deo, ut ab inferno per JESUM CHRISTUM liberarentur, quod tan-

tantundem est, ac cum Jansenio dicere, sanguinem suum à Christo non magis pro ipsorum, quam pro dæmonum salute, profusumesse: peccatum esse inevitabile defectu gratiæ, iis omnibus, qui peccato succumbunt: mandata defectu gratiæ esse impossibilia iis omnibus, qui illa non observant, quantumvis illa observare velint & conentur.

Intereà tantum aberat, ut Apostolicus vicarius, Illustrissimus Castoriensis primum, ac deindè Illustrissimus Sebastenus, vel hæc dogmata improbarent, vel, ea proseminandi Libertatem redarguerent, aut inhiberent, ut sibi etiam ostenderent, per eorundem ebuccinatorum promotiones ad stationes magis honorabiles, id esse pergratum. Si quis verò dogmatibus illorum obloqui, stareque pro veteri veritate præsumeret, ad silentium adigebatur, etiam interdicti ac suspensionis comminatione. In hunc modum Illustrissimus Castoriensis processit cum D: Adriano van Wijck, Pastore in Kethel delflandiæ pago, ac Rotterodamo non multum dissito. Promiserat ille demonstraturum se ex SS: Litteris æque ac SS: Patribus 1. Quod Deus per suam misericordiam omnibus hominibus de sufficiente auxilio provideat, cui si cooperentur, salvi fieri possunt 2. Quod Deus sincerè velit ex sua parte salutem omnium. 3. Quod JESUS CHRISTUS sit mortuus pro omnibus & singulis hominibus & 4. Quod infantes sine baptismo decedentes damnentur quidem ad pœnam damni, sed non ad pœnam sensûs. Facta indilatè ab Illustrissimo Castoriensi comminitoria prohibitio D: Adriano, ne de hisce dogmatibus ad populum verbum faceret. Exstant etiamnum tam huius quam illius litteræ ad invicem transmissæ Anno 1684.

Hic procedendi modus ab Illustrissimo Castoriensi institutus, suum ab eius morte invenit protectorem, & imitatorem Illustrissimum Sebastenum, Castoriensis successorem. Hic enim jam ab annis tredecim Arnaldi discipulus patronum præstitit sese eorum, ac protectorem strenuum, errores Jansenii, quantumvis cum scandalo & offensione plebis catholicæ, aliasque doctrinas novas, atque doctrinæ etiam monstra ac portenta (quæ mox afferemus) disseminantium.

Plures quam triginta testatores omnes orthodoxi & incolæ pagi Hilversum propè ultrajectum declararunt Anno 1691, solemniter, ac coram Notario jurato, quod eorum Pastor D: Adrianus Smit, continuò, per conciones ac Catecheses, illis inculcarit, quod magnæ dementiæ arguendus sit ille, qui crederet Deum aliter quam decreverat erga nos acturum, tametsi ferventibus precibus à nobis interpellaretur. Quod

Licet

licet omnes homines in preces se coram Deo effunderent, nihilo tamen magis eis Deum flectendum, ut vel plus aliquid vel minus nobis immittat, quam iam antè immittere decrevisset. Deo tam esse attribuenda peccata hominum, quam actiones bonas. Hominem nec malè nec benè operari, sed Deum esse, qui in homine bonum operatur & malum. Raptori rapinam imputandam non esse, sed Deo, qui, ut eam committat, instigaret. Neque homicidæ cædem imputandam, quam commisit, sed Deo, brachium homicidæ dirigenti. Quod ex duobus hominibus, qui æquè graviter peccârunt, si unus ad Deum se convertat, & alter eâdem adjutus gratiâ non se convertat, non idcirco id fiat, quia hic minus fideliter eâ gratia usus sit, vel ille magis fideliter gratiæ sit cooperatus; quin imò contingere eum à Deo rejici, quem videt ad conversionem dispositum, illique negari auxilium & denique derelinqui, ut Deus se convertat ad alium, nolentem se ad Deum convertere. Falsum esse, quod Deus unicuique det gratiam, qui eam sincerè à se postulet, & ex parte sua omnia ea exequitur ac præstat, quæ in potestate sua sunt, ut se Deo gratum faciat. Si Deus unicuique hoc auxilium concederet, famulum eum aut pedissequum hominis fore. Punctum fidei esse, infantes, qui absque baptismo moriuntur, interni igne torqueri, non aliter quam dæmones, quinimò velut dæmones fieri.

Adjiciebat ad hæc, aliaque, quæ pro concione vel catechesi exponebat memoratus pastor, teneri auditores suos tantam in his sibi fidem adhibere, quantam Deo, Si illud, quod impero, ajebat, nullam obligationem imponeret, satis tamen est, quod id imperem, ut mortale peccatum constituat in eo, qui non exequitur. Et quicunque, addebat, verbis meis fidem non habent, digni non sunt, qui ex manibus meis sacram Eucharistiam accipiant.

Dogma de Jesu Christo, quod publicè docuit, talè erat: falsum esse, quod mortuus sit pro omnibus hominibus, & quod gratiam suam reprobis obtulerit.

Super hisce postremis dogmatibus quidam civis Amorfurdiensis, Cornelius Prins, notabilem conferentiam instituit cum D: Jacobo Catzio decano rurali istius districtus, & cuius erat, dogmatibus invigilare tollendis, quæ scandalum parere nata erant, & hæc pariebant gravissimum. Decanus hic (iisdem nempè imbutus principiis) non laudabat Pastorem, eò quod nimis crudè locutus fuisset, cum agnoscimus, inquiebat, Jesum Christum mortem obiisse pro omnibus

nibus hominibus, in quantum sanguis eius pretium est infinitum; & quod sufficeret ad Salvandos omnes homines, si omnibus applicaretur.

Verum cum civis ille ex decano quæreret, an illum non damnaret, qui negaret cum Jansenio, JESUM CHRISTUM sanguinem suum fudisse pro salute omnium hominum? respondit, quod non satis super eo puncto mentem suam declarassent pontifices. Addebat, quod Judas, Saul, pluresque alii reprobi, omnino à Deo accepissent gratias, sed gratias dumtaxat transitorias, id est, aptas quidem, quibus aliquanto tempore Deo adhærerent, sed non aptas, quibus salutem consequerentur. Quod si Deus intrinsecè vellet, ut salvarentur omnes homines, impossibile fore, ut vel unus periret, cum nullus divinæ voluntati possit resistere. Atque quod hæc verba: *Deus vult omnes homines salvos fieri*, non designent nisi voluntatem Dei extrinsecam, quæ consistit in signis exterioribus volendi, non autem in intrinseca voluntate, qua quod velit, actu ipso fieri velit. Cum vero civis ille ipsi reponeret, esse eam ipsam propriis terminis doctrinam Calvini, respondit Decanus Catzius, quod omnis doctrina Calvini non esset hæretica: adjecitque, subtiles has esse quæstiones de gratia, quibus enodandis frustra plures hactenus insudassent. Verè, inquiebat Cornelius, Domine decane, hæc dicis: & interea Sacerdotes vestri, dum ad rurales dicunt homines, de subtilibus istis quæstionibus sermones instituunt.

Jam superius observavimus, quam hæc methodus contraria sit praxi orthodoxorum Theologorum, quorum perspicacissimis judiciis vix licuit introire in arcana hæc, ut liberum arbitrium hominis cum Dei præscientia conciliarent, & funesta infortuniorum experientia satis abundè nos docuit, quam difficile sit mysteriorum horum scrutatoribus ab altero præcipitiorum sibi cavere vel præsumptionis nimiæ, vel desperationis. Quid? quod Hollandia sedes sit, in quâ hæterodoxi verbis divi Pauli de prædestinatione & gratia, liberius abutuntur; adeòque hic majus orthodoxis creetur periculum & tamen manifestissimum est, primo præcipuos è clero sæculari Hollandiæ videri cum reformatæ fidei ministris, jam ab annis duodecim, conspirasse, ut non minus ac illi in concionibus suis, etiam ad agrestes, & in catechesibus suis ad pueros, profundissima hæc mysteria non leviter pertractarent, & quidem tanta inter verba eorundem Ecclesiasticorum in ipsis opusculis ab ipsis, hac super materia, typo editis express cum

Syno-

Synodi Reformatæ Dordracenæ decisionibus conformitas ac consensio reperitur, (quod constat ex accuratiore parallelo, quo doctrina utriusque collata est) ut differentia vel tantilla, nisi fortè in mero termino, ostendi nequeat etiam in dogmate decreti divini, quò ad reprobatos; quod tamen ex punctis essentialibus unum est, quo reformatæ fidei ministri se à Catholica Ecclesia segregârunt.

Nullus intrà illud tempus annus elapsus est, quo non aliqui ex sæcularibus sacerdotibus nomen sibi per ejusmodi conciones parere studuerint. Anno proximè elapso DD: de Bont, & junior van Erkel totum quadragesimæ tempus Delphis insumpserunt, ut è cathedra probarent, quod nec Judas, nec malus latro potestatem habuerint se salvandi, aut gratiam sufficientem, quâ salvari possint: Quod nulla ignorantia legis naturalis, quantumvis ea invincibilis supponatur, facere possit, ut ille damnandus non sit, qui contrà illam legem deliquerit; & ut hanc secundam propositionem stabilirent, hanc, inter alias, rationem adduxerunt, quod in statu, in quo sumus, sufficiat ad peccandum mortaliter, quod habeamus libertatem, per quam peccatum voluntarium & liberum fuit in sua causa, nempè in peccato originali, & voluntate Adami, peccatum committentis,

Atque hæ sunt duæ primæ ex triginta & una propositionibus ab Alexandro VIII. damnatis, per decretum, quod hi Ecclesiastici hactenus publicare noluerunt. Quod magis est, cum ab annis aliquot Do. van Erkel diceretur, posse fieri, ut eius doctrina Romæ censuraretur, absque ulla verborum palliatione respondit, id si fieret, permissurum se potius, omnibus suis ministeriis se privari, quam simili censuræ se submittere. Atque hic nihilominus D: van Erkel ita Illustrissimi Sebasteni gratiam, affectumque consecutus est, ut præter titulum, quem sibi vendicat, quod sit à secretis prætensi ultrajectensis capituli, præter officium provisoris seminarii unius Hollandicæ missionis Lovanii, iam nuper decanatu Delflandiæ insignitus sit, vel eo saltem fungitur; ut sic veteres & adolescentiores Ecclesiastici constringantur dependere ab eo, qui publicè, ac singulari quidem pertinaciâ, errores Jansenii propugnat. DD: de Bont, & Oosterlingh in aliis occasionibus eâdem poenè, quâ Erkelius, verborum libertate sunt usi. Hi triumviri docuêre prætereà, durante quadragesimali tempore, atque etiam mox à paschate anni 1696 cæteros Jansenii, ejusdemque assectarum errores, furiosè ac rabidè invecti in eos, qui contrà sentirent; eo usque progressi, ut hos publicè de cathedra & pelagianos &

 semi-

semipelagianos & falsos prophetas, & antichristi præcursores, & miserabile semen Judæ &c. appellârint.

Et cum Româ (ut fertur) per amicos suos admonerentur, rem illic eorum erupisse, & difficile fore, nominatim D. van Erkel, censuræ subducere, caverunt sibi, ne durante quadragesimâ huius anni 1697 quidpiam carpi dignum edicerent. Verum sub finem quadragesimæ, D: van Erkel conatus est in unam concionem ea rursus omnia compilare, & unicâ horâ populo inculcare, quæ anno lapso per plures conciones prolixius digesserat, uti suprà annotavimus, pessima quæque dogmata.

Is ipse D: van Erkel scripto dedit expositionem prædestinationis, in qua fundamentalem hanc regulam ponit, quod prædestinatio sit duplex decretum, scil: quo Deus & ex damnata Adæ progenie certos quosdam eligit, ut eis gloriam conferat, & quo decernit, cæteros omnes in damnatione relinquere, quam per peccatum primævi parentis sui incurrerunt. Hæc verba illius scripto data: *Per prædestinationem gratuitam intelligo, quod Deus ex Adæ damnato semine certum numerum hominum elegerit; quodque decreverit alios in sua damnatione relinquere.*

Interrogatus à duabus personis, qui rem, uti acta est, testimonio suo signarunt, an igitur hisce cæteris in damnatione relictis, nulla auxilia suppetiissent, quibus potuissent salvari? respondit hisce terminis, *neminem in inferno esse, qui habuerit sufficiens auxilium, quo infernum potuisset evadere.*

In alio congressu, his verbis sensum suum explicuit, quod homo cum gratia, quam habet à Deo, nihil plus boni facere possit, quam facit.

D: Oosterlingh, Erkely collega, minor etiam, quam hic, dogmatum suorum simulator est. Horum nonnulla specimina exhibeo, quæ collegit testis fide dignus, pro ut ex eius ore prolata, auribus hausit.

Jesus Christus nulla ratione mortuus est pro omnibus, sed eius mors sufficiens erat, ut omnes redimeret?

Non est mortuus pro ullo alio, quam illis, qui salvantur.

Si mortuus esset pro omnibus hominibus, omnes homines salvarentur.

Qui non salvantur, auxilium quo salvari possent, non habent.

Prædestinati non possunt rejicere gratiam, qua salvantur.

Alii testes declarant, quod vel similes propositiones, vel iis etiam

pejo-

pejores, audiverint ex ore D: Gerardi Sluiter, sacellani tunc Rottenodami in oratorio dicto Paradisus, anno 1691; quo in oratorio suprà narravimus, primas pro Jansenismo conciones fuisse institutas. Scire etiam convenit, quod testimonia de quibus hic loquor, scripto consignata sint, & ex iis aliqua coram Notario jurato deposita, sed omnia sub pollicitatione confirmandi ea juramento, cum hæc præcautio necessaria judicata sit, ob difficultatem, quâ viri autoritate eminentes laborant, ut fidem adhibeant iis rebus, quæ fidem omnem videntur superare.

Anni iam duo elapsi sunt, cum ad eum audaciæ excessum unus ex hisce Ecclesiasticis pro lapsus est, ut veritus non sit publicè invitare Catholicos, urbis in Hollandia præ aliis Catholicorum frequentiâ inclytæ, ad concionem à se habendam (& quæ actu ipso habita est) in Laudem Jansenii. Fuit ille audax Jansenii Encomiastes D: Ignatius Walvis, qui vix in oratoriorum uno Hagæ-comitis sacellanum egerat, quin illic fidum se Jansenii sectatorem prodiderit. Satis id fuit Illustrissimo Sebasteno, ut virum illum promoveret. Statuit ergò illum in pastorem urbis Gaudanæ. Hæc urbs est, in quâ ille, dominicis aliquot ante Quadragesimam, promulgarit è cathedra, dominicâ sequenti dicturum se, & de Jansenio (quis nempe quantusque vir ille!) & de Jansenii doctrina, contentâ in libro eius, cui titulus: *Augustinus*, invitans unà auditores, impigrè comparêre dignarentur: & comparuêre plures, non ex sua unius, sed & ex communitatibus aliorum. Itaque Jansenium laudaturus, orsus est à pietate ejus ac virtute, quibus ille & non tantum doctrinâ, eximius, ad infulas sibi episcopales gradum fecit, quas & Ipris adeptus est. Doctrinam illius multis deindè prædicavit, nihil eorum prætermittens, quibus populo persuaderet, illam, (quidquid frendeant ac ringantur invidi) sanam esse, atque orthodoxam. Librum Jansenii aiebat non alia ex causa impugnatum, nisi ex pura zelotijpia nationis, & gravi sensu Gallorum, quem in Jansenium conceperant, ex alio ejus libro, quem contrà Gallos in lucem dederat, cui titulus: *Mars Gallicus.*

Missionarius quidam regularis, nomine Joannes Maille ex ordine S. Francisci, Gaudæ pariter stationem habens, religioni sibi ducebat, hac in occasione conticescere, ac petulantiam hominis, & Jansenium & doctrinam Jansenii, publico præconio efferentis, tantillum non coercere. Admonitâ ergò à se communitate; ac non minore numero conveniente; & librum Jansenii, & doctrinam in libro contentam

 confixam

confixam Romæ, atque hæreseos, repetitis vicibus, damnatam esse, non minus strenuè, quam facilè, comprobabat, allatis in cathedram, ac palam prælectis, (sed vernaculè prius redditis) Bullis superiorum pontificum, in librum Jansenii, doctrinamque illius perpetuò emanatis; tanto id, tamque optato successu, ut audacem hunc Jansenii declamatorem obmutescere tantisper adegerit, tametsi is alias deindè, occasiones, Jansenianos errores proseminandi, sibi elabi non permiserit. Declamatiò præfata in laudem Jansenii contigit anno. 1695. Estque de eâdem in manibus attestatio debitâ forma à quatuorviris, qui inter fuêre, consignata.

§ 5.

Libri compositi, & inter vulgares Catholicos divulgati, per Ecclesiasticos Hollandiæ.

QUa ratione & methodo Jansenismum vidimus in Hollandia per conciones divulgatum, eâdem nunc, & fortius disseminatum videbimus per libros. Alii ex his gallicè primum conscripti sunt à famoso Doctore Antonio Arnaldo, ac dein belgicé translati. Alii conscripti à Doctoribus Lovaniensibus, Jansenio addictioribus; alii autem, iique plurimi, ab ipsis Ecclesiasticis Hollandis, sed Lovanii, sub magistris Jansenianis, Jansenismo imbutis. Libri illi per urbes Hollandiæ pagosque, curâ conatuque multo, circumlati sunt: invitis & reluctantibus obtrusi: nolentibus eos pretio comparare, dono dati; eosque ex dono nolentibus, in sinum conjecti.

Liber primus ac præcipuus, & qui cæterorum promptuarium est, titulum præfert magnificum: *Catholica victrix veritas.* Prodivit in lucem sub nomine Caroli de Bont, S: Theol: Licentiati in facultate Lovaniensi, censurâ munitus J. De Cuyper, moderni decani metropolitanæ Mechliniensis, librorum istius generis approbatoris oridinarii. Typi subscribuntur Iprenses, sed typis Amstelodamensibus excusus est, anno 1684. En tibi ex hoc libro, doctrinæ unum, alterumque specimen.

Pag: 176. 177. *Opinio, quæ docet, quod Deus omnes homines absque exceptione velit salvos facere, & quod illis, vi istius voluntatis, communicet omnem gratiam necessariam, ut salutem suam operentur, dogma fuit omnium hæreticorum, & omnium eorundem sectatorum, qui*

gratiam:

gratiam Christi impugnarunt : qui (hæretici) *prædictam opinionem propugnarunt, tanquam fundamentum omnium errorum suorum. Hinc etiam est, quod nemo ex SS: Doctoribus, qui propugnarunt necessitatem & virtutem hujus gratiæ, contra memoratos hæreticos, eorundemque sectatores, vel unquam opinioni huic inhæserit, sed quod multò magis eam rejecerit, & obominatus sit.* Nota : Opinio affirmativa de voluntate Dei generali, quo ad salutem omnium hominum, ac de gratiâ ad salutem necessariâ, omnibus ex ea Dei voluntate, promanante, dogma asseritur ab omnibus hæreticis, gratiam Christi impugnantibus, velut errorem & ab universale fundamentum, receptum, & ab omnibus SS. Doctoribus, gratiam Christi propugnantibns rejectum, & obominationi habitum. Undè sic clauditur suprà dicta periodus : *Ergo hæc opinio ut minus tanquam suspecta de hæresi haberi debet.* Propositiones plurimæ, huic consimiles ac synonimæ, & quibus disertissimè asseritur, Deum non nisi aliquos dumtaxat velle salvos, librum hunc vel à limine salutanti, occurent ultro. Et pariter res se habet cum propositionibus de morte Christi non pro omnium salute ab eo obitâ.

Pag. 136. *Hæc verba :* non pro mundo rogo, *manifestè demonstrant, esse mundum vel homines, pro quibus* JESUS CHRISTUS *nolevat mori : & pro quibus neque sanguinem suum, neque preces patri suo offerebat.* Manifestè sic asseritur, Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, nolendo pro eis mori, neque preces pro illis offerendo patri suo. Pag. 134. *Ecquis absque horrore audire potest, quod* (JESUS CHRISTUS) *pro uno quoque homine in particulari mortuus sit ?* atq; tunc horrore illi corripiuntur præcipuè, quandò Christum pro uniuscujusque hominis salute mortuum dici inaudiunt. Doctrina, Janseniana haud absimilis, fusè traditur toto libro, compendiosè verò à pagina 480, usque ad paginam 485 ; sed clarè ubique ac dilucidè mentem suam præ symmmlis hic pandit auctor. Hinc Melchior Leydeckerus, Calvinista insignis, in universitate ultrajectinâ Professor primarius, in sua de Jansenismo Historia, calentibus etiamnum typis edita, Auctorem hunc, textu non uno ex libro ejus citato, non modicè dilaudat, hoc illum denique condecorans elogio pag. 275. *Hæc Carolus Bonitus, quem Laudamus, ut Jansenitam ingenuum, præ cæteris, ipsoque patriarchâ meliorem.*

Huic primario libro compingitur ut plurimum libellus alter eodem simul tempore editus, titulo : *Delineatio generalis*, auctore ficto, Ignatio Eykenboom. Mera censura est, eaque liberè ac præfidenter

 prolata,

prolata, in dogmata quælibet opposita; ut sic dogmata asserta in priore libro, à censuratis oppositis, magis confirmentur.

Prodierunt non diu post alii duo libelli vernaculè, ut priores; sed & gallicè ambo deinde redditi sunt, & typis etiam gallicis impressi. Titulus prioris est, *Æquiforme discrimen fidei Catholicæ*. Conspicitur in fronte huius libelli præfati Bontii nomen, quod ad quos libet factionis libellos venale tunè offerebat. Plurimum, ac præ aliis per Hollandiam dispersus est, typis tertium repetitis. Titulus alterius, *Defensio Ecclesiæ Romanæ*. Nomen ipsum auctoris in fronte non conspicitur; conspiciuntur tamen in eâ hæ duæ Litteræ B. P. velut nominis initiales. Auctores istiusmodi libellorum latêre deinceps maluerunt, ut minus, & invidiam incurrerent Catholicorum & telis exponerentur adversariorum, minusque, ubi Janseniana pro Catholicis divendunt, ab Ecclesia corriperentur. Et Bontius certè, ob nomen suum præfatis libellis adjectum, apud Catholicos adeò incurrit invidiam, ut quidquid promovere illum fategerit deindè Sebastenus; voto suo potiri hactenus nequiverit. Quid? vel exigua sua statione, cui annos plus minus duodecim præpositus, indecorè exclusus est.

Libellus, *Æquiforme discrimen &c. & has habet propositiones.*

Pag. 10. *Sensus verborum* Apostoli: Deus vult omnes salvos fieri, *non est hæc interpretatio Pelagianorum, nullus est homo, quem Deus, quantum est ex se, non velit salvum facere, dans omnibus hominibus, nemine excepto, gratiam sufficientem. Sed hæc Deus salvos facit omnes homines ex omnibus populis, statibus, ætate: & nemo fit salvus, nisi quem Deus salvum facere vult, vel aliquis alius sensus, qui non repugnet huic veritati, Deus totum fecit, quod voluit in cælo & in terra; & consequenter, omnes quos Deus salvos facere vult, erunt infallibiliter salvi*: Nota: Opinio pro voluntate Dei generali, quò ad salutem omnium hominum, quæ suprà adscribitur indeterminatè omnibus hæreticis, gratiam Christi impugnantibus, hic determinatè adscribitur Pelagianis, Deo intereà, hoc quidem auctore, eos salvos non volente, qui salvi non fiunt.

Pag. 14. *Deus, nolens omnes homines damnare, etsi omnes commeruerant, sed ex illis ab omni æternitate, per meram suam misericordiam, electo à se magno numero, ex omnibus populis, statibus, ætate, & temporibus, ut eos à peccato ac inferno liberaret, & gratiâ sua & gloriâ donaret, dedit illis filium suum, qui homo factus & mortuus sanguinem suum pretiosum cælesti suo patri obtulit, ut omnibus, quos vult salvos facere*

facere, gratiam impetraret, quæ ipsis necessaria erat, ut ad salutem pertingerent. Superiore testimonio asseritur, omnes, quos Deus salvos facere vult, infallibiliter salvos fore. Hoc testimonio asseritur, Christum mortuum pro illis dumtaxat quos Deus vult salvos facere; adeòque & asseritur, Christum mortuum pro illis dumtaxat, qui infallibiliter salvi futuri sunt.

Libellus: *defensio Romanæ Ecclesiæ* Pag. 107. *Si Deus omnipotens omnes homines, nemine excepto, salvos facere velit, certissimum tunc est, quod JESUS CHRISTUS, etiam pro illis omnibus mortuus sit, nam hoc tam necessariò sequitur, quam quod cælestis illius pater unicus sit. Quæ ergò semipelagiani tanquam Catholicam veritatem tenent, quod Christus pro omnibus hominibus, qui unquam erant, jam sunt & erunt, neminem, præteriens, mortuus sit, nequaquam miror, quod pariter teneant, quod Deus omnipotens ab æterno ita voluerit. Sed cum clarè ostendimus, quod illa doctrina, neque S. Pauli sit, neque SS: Patrum, neque S: Ecclesiæ, mihi persuadere non possum, nos teneri credere, quod Deus omnes homines sine exceptione salvos facere velit.*

Hi duo libelli delati fuêre Romam anno 1693, & propositiones ex illis excerptæ censebantur ab omnibus Theologis, Ecclesiæ prælatis, episcopis, & Cardinalibus, qui eas legebant, tanquam erroneæ, ac damnabiles. Eminentissimus Cardinalis, A, unus ex iis erat, qui eas tales censuerant: promiseratque se solicitaturum pontificem, ut pronunciatâ à S. Officio super hisce libellis sententiâ, iidem vel brevi Apostolico, vel expressa constitutione proscriberentur. Nescitur hactenus quis obex rei huic injectus sit, quamquam non ignoretur, similes libros Qualificatoribus traditos, nonnunquam diuturno tempore incensuratos mansisse, ac prætextus demum quæsitos, ne suum de iis judicium proferrent, rationibus illius, iis solum quibus magis confidebant, indicatis.

Ab anno 1688, plures alii libelli in lucem editi sunt, & per vulgus dissipati; in quibus sparsum Jansenii venenum reperies, quamquam in omnibus illud non æquè palam propinetur. Latet anguis in herba. Et quidem libelli illi in omni forma prodiêre. Ex horum numero est, cui titulus, *Compendium doctrinæ christianæ, quoad prædestinationem & gratiam Dei*, in quo errores Jansenii proponuntur in forma Catechismi. Alter, cui titulus, *Considerationes Christianæ*, in quo errores Jansenii proponuntur in forma Meditationum. Tertius,

tius, cui titulus, *Instructiones & preces Christianæ*, in quo errores illi proponuntur in forma precum. Vix aut ne vix quidem reperire est libellum, annis his proximè elapsis, à factionis partiariis editum, (& eduntur ab illis indies) nævis Jansenianis non consperfum; atque totum sic, quod pio usui plebi esse possit, aut aliqua ratione ad pietatem referri, bonis mentibus infestum est, plebique minus cautæ virus aspirat?

Recenseamus majora. Primores ex clero fæculari in Hollandia non ita dudum curaverunt, & reimprimi vernaculè, & publicè voenum exponi, famosum *Catechismum de gratia*, ab *Innocentio* X bis, annis vid: 1650, & anno 1654, ab *Innocentio* XI. semel, anno nempè 1690; prohibitum ac damnatum, *tanquam plura dogmata, à superioribus pontificibus iam ante confixa, continentem.* Gerardus Sikkes, civis tunc ac librarius Gaudanus, vir probè Catholicus, retulit cuidam sacerdoti, testimonium dare parato, quod D. Jacobus Catzius, eò temporis Gaudæ Pastor, ac Zelandiæ provicarius, plura sibi tradiderit Catechismi illius, flandricè reimpressi exemplaria, ut ea in officina sua liberè divenderet: addebatque dictus librarius, tactum se scrupulo quòd librum divenderet Romæ damnatum, damnatumque iteratius, adiisse se præfatum Catzium consilii ergo; sed reposuisse illum, scrupulum abjiceret, Catechismum liberè divenderet. Atque illum divendidit deindè, uti antè, promiscuè omnibus.

At alius quidam libellus est, qui non ita publicè prostat: distribuitur tamen inter confidentiores, à quibus & in usus aliorum subindè devenit. Præcipua huius præcautionis ratio hæc videtur, quòd Jansenismus, qui in aliis libellis ænigmate plerumque aliquo involvitur, hic sublata larvà in publicum prodeat, nulloque pictus fuco, à censurá ægrius vindicandus foret. Libellus hic in forma epistolæ conscriptus est, datæ ad virum litteratum, sed ficti nominis, Constantinum Constantini, dividitur in quinque partes: Methodo rationum & argumentorum, in speciem apodicticâ, ea ferè omnia complectitur, quæ dici possunt contrà generalem possibilitatem salutis, & universalitatem gratiæ. Nomen Auctoris, impressum primæ paginæ post titulum & præfationem, alio impresso nomine, Adriaan van Woelwijk, scitè obductum, ad lucem legenti ultrò occurrit, Johan Roos.

Hic Dominus Johan Roos vir Rotterodamius est, familiæ consularis & primæ notæ. Protestans olim professionis arminianæ, sed cum tribus

tribus vel quatuor germanis fratribus, solemni ac operosa conversione, ad gremium reductus romanæ Ecclesiæ. Emenso non infeliciter studiorum curriculo, factus est presbyter, mox pastor Ultrajecti, deindè delphensi begginagio præfectus, decanus Delflandiæ, atque illustrissimis Castoriensi & Sebasteno diu à consiliis. Fidem orthodoxam, contrà Protestantes variæ professionis, opusculis variis, præclarè tutatus est, donec delitescens in begginagio delphensi Arnaldus, viroque huic vicinus & assiduus, afflarit ei Jansenianam fuliginem, quo tempore & hanc Epistolam, causæ Jansenianæ propugnatricem, conscripsit, quæ & à D. de Cuyper, decano Mechliniensi approbatorio calculo donata est, impressa, ut substat titulo, sed fictè, Bruxellis apud Petrum de Vriie Anno 1691.

Epistolam totam operteret exscribere, si totum, quod in ea Jansenianum est, exhibendum foret. Specimen ex eâ, sed si quod aliud luculentum, non dabo nisi unum aut alterum. Ita ait pag. 21. *Quod Paulus dicat*, Deum esse salvatorem omnium hominum, maxime fidelium (1. Tim. 4. 10) *non potest nisi ad eos referri, qui actu salvantur: neque intelligi potest de iis, qui pereunt, nisi verba illa ab apostolo dicta accipiamus ad declarandam quandam salutem temporalem. Cum igitur* JESUS CHRISTUS *pro omnibus hominibus non obtinuerit salutem, aut necessaria & sufficientia auxilia ad salutem consequendam, hinc deducitur, consequentiâ invincibili, & quæ regulis nostræ fidei innititur, quod* JESUS CHRISTUS *illa promeritus non sit, & quod pater eius cælestis noluerit, ut illa promereretur pro omnibus hominibus sine exceptione. Atque hæc sufficere debent, ad demonstrandum, opinionem S: Augustini & S: Thomæ* (rapit illos in sensa sua) *in materia prædestinationis, & gratiæ efficacis, meritò declaratam esse sanæ doctrinæ a pluribus summis pontificibus: & papam Alexandrum VII. non absque ratione nuncupasse doctrinam illam inconcussam & tutissimam, hoc est talem, quam nullus posset evertere, & quæ ab hæresi est remotissima: talemque, ut verbo absolvam, à qua prudenter nemo recedere posset.* Duces ac patroni huius doctrinæ, juxta quam Deus non est salvator omnium hominum, sed illorum dumtaxat, qui reipsa salvantur: juxtà quam & Christus neque salutem, neque auxilia necessaria & sufficientia ad salutem, pro omnibus hominibus, patre eius cælesti id nolente, promeritus est, certè non sunt SS: Augustinus & Thomas, sed Calvinus & Jansenius.

Quid? indiculus partis tertiæ ita habet: *Clarè demonstratur, au-*

xilia necessaria & sufficientia ad salutem omnibus hominibus non communicari. Et partis quartæ: *Refelluntur argumenta omnia, quæ contra hanc demonstrationem opponuntur. Pag.* 11. *Noluit cælestis pater, ut filius eius communicaret omnibus hominibus auxilia necessaria ad salutem consequendam. pag.* 12. JESUS CHRISTUS *ea non est promeritus sua morte.* pag: aliâ *Novum dogma* compellat, *quod anno* 1580 *irrepsit in Universitatem Lovaniensem, quo docetur, Deum omnibus hominibus absque exceptione dare gratiam sufficientem, per quam se possent salvos facere, ita ut salus dependeat ab eorum voluntate*; aitque, *se dogma illud refutatum ire, seque illud radicitus evellere conaturum.* Cæteris hominibus, hoc quidem auctore, JESUS CHRISTUS ipsam salutem, & nôn tantum auxilia ad illam sufficientiâ, morte sua promeritus est, ac obtinuit; undè, eodem auctore, hi necessariò salvantur, reliqui necessariò pereunt. Nescio quid sit, religionem à fundamentis evertere, si hoc non sit.

Et profectò quantumvis libri, de quibus hactenus egimus, perniciosi sint, perniciem non minorem, alio licet modo, Catechismi convehunt, numero plurimi, & ex quibus novæ doctrinæ nova principia sensim sine sensu imbibuntur, recentius, nescio ex quibus Galliæ diœcesibus, in missionem invecti. Plerique ex novis hisce Ecclesiasticis (ubi potuêre) proscripserunt ex suis oratoriis Catechismos priores, compositos olim à Doctoribus facultatis lovaniensis, ab Episcopis diocesis Mechliniensis approbatos, per totam Brabantiam & Hollandiam receptissimos; nempè non illi ad dogmata eorum accommodi.

Receptissimus inter Catechismos priores, usuque præ aliis longiore tritus, sudes in oculis est. Orditur hic à sequentibus interrogationibus, & responsionibus.

Ia. Interrog: *In quem finem homo creatus est?* Respons: *ut Deum Cognoscat, amet, eique deserviat in hac vita, eoque amodò fruatur in altera vita.*

2a. Interrog: *Aliquis ne creatus est ad damnationem?* Respons: *Nequaquam. Sed Deus vult, ut omnes homines salvi fiant.*

3a. Interrog: *Quomodò ergo est, quod plures non fiant salvi?* Respons: *quia gratiam Dei, quæ illis omni tempore parata est, recipiunt in vanum vel abjiciunt.*

Ratio præcipua, ob quam priores Episcopi, parochique huius patriæ, Catechismum inter nostrates Catholicos communiorem, auspicati sunt, à quæstionibus, Deum benignum in omnes, omniumque, præ-

præparatâ eis illum in finem gratiâ, salutem velle, prædicantibus; hæc meritò habetur, ut sic occurreretur ante omnia Gummaro Calvinistarum, aut, (si mavis) Calvini duro diroque dogmati, quo Deus aliquos homines, ac plurimos quidem, ad mortem ac damnationem æternam, suo solius arbitratu, prædestinasse asseritur. Ipsi Calvinistæ, dogmate illo ducis sui domi offensi, ad conversionem, fidemque in Ecclesia Catholica profitendam, maturiores erant; hinc visum, in ipso ad fidem vestibulo, Idæam planè aliam de Deo benignissimo plebi proponere, atque adeò in ipso rudimenti fidei principio, omnibus inculcare, neminem unum à Deo, omnium creatore, creatum esse ad damnationem, omnes creatos esse ad salutem, gratiæ neglectui adscribendum esse, si qui non salventur. Et sanè ex conversorum ad fidem Catholicam, (quod duritie horroreque prædicti dogmatis domi territi) ingenti tunc numero, abundè constitit, priores Episcopos parochosque, fidei tradendæ rudimenta, à memoratis quæstionibus prudenter inchoasse.

Illustrissimus Sebastenus cum suis secus censuerunt; Catechismum illum receptissimum, ex oratoriis, in quibus plebs Catholica minus obstitit, proscripserunt, alio ejusdem loco substituto, ita ordiente.

1a. Interrog: *In quem finem creavit Deus hominem?* Respons: *ut ipsum in omnem æternitatem salvum faciat.*

2a. Interrog: *In quo consistit salus hominis?* Respons: *in possidendo Deo.*

3a. Interrog: *Quare hoc?* Respons: *quia, quando Deum possidet, possidet totum, quod posset exoptare.*

Neque unus hic Catechismus novus est, ex quo resectæ quæstiones illæ *aliquis ne creatus est ad damnationem?* & *Quomodò ergò est, quod plures non fiant salvi?* in nullis recentioribus hæ vel similes quæstiones proponuntur; nempè recentioribus illorum dogmatibus, juxtà quæ *Deus non vult omnes salvos: & Christus non pro salute omnium mortuus*, non tantum non accomodæ, sed adversæ sunt.

Intereà, quod jam experientiâ diuturniore testatissimum est, Lugentque probi omnes, ab inductis inter Catholicos istis dogmatibus, reductiones hæterodoxorum ad fidem Catholicam, eò usque frequentiores, non tantum non penitus cessavêre, sed etiam plures ex pridem reductis, (idem jam apud Catholicos, in ipsis eorum Catechismis, quod prius apud suos, reperiuntes) sese non magis jam in romanâ, quam in Calvinianâ Communitate, tutos arbitrati, ad illam regressi sunt.

Et certè, præterquam, quod per dogmata illa zelus tollatur omnis in viris Apostolicis, quò minus pro sectariorum reductionibus vel anxii sint aut soliciti, (persuasi neminem, ex perituris alioquin, curâ sua ac labore salvatum iri,) non superest quod prudenter respondeatur, vel ex sectia ad fidem Catholicam transire tergiversantibus, vel ex fide Catholica ad sectas redire meditantibus, si, (quod apud illos obvium est) ita ratiocinentur: Si ex illis sumus, quos Deus salvos vult, & pro quorum salute Christus mortuus est, certò salvabimur, damnandi certò, si ex illis non sumus. Et quidem voluntas illa a Deo posita est vel non posita, antecedenter ad quamlibet fidem quam deinde profesuri sumus; non ergò est, quod nos tutos magis in hac, quam in illa professione reamur: hanc vel adibimus, vel ad illam redibimus, ad quam nostra nos, vel prolium nostrarum, fortuna vocet, aut vitæ commoditas.

Ne ergó mirêre, quod cordatiores & probiores Catholici, novis hisce Catechismis non leviter dumtaxat obmurmurârint, sed & fortiore modo eis obstiterint, obtestantes, non missuros se vel unquam ad instructionem infantes suos, nisi ea juxta veteres Catechismos perageretur: & parentibus in hoc nonnihil subindè indulgentioribus, pueri ipsi instructionem adire noluerunt. Hinc quoque effectum est, ut nonnulli ex recentioribus hisce Ecclesiasticis tempori cedere coacti, veteres Catechismos, novis nunc tantisper sepositis, resumpserint: aliis verò consilium fuit, veteres simulac novos exponere, ut hac ratione ætas tenella suavius ad novos inducatur, sensimque doctrinæ assuescat, vel minus eam abhorreat, quæ in novis eis proponitur.

Priusqam huic de libris articulo manum subducam, ignorare non oportebit, novos hosce Ecclesiasticos non permittere dumtaxat, etiam rudibus ac plebæis hominibus, promiscuam S: scripturæ lectionem, sed & palam nonnunquam edicunt.

I. Omni homini, cum ad usum rationis pervenerit, jus esse, atque etiam eundem obligari, ut legat S: scripturam.

II. Hollandiam, cum sit libera respublica: non esse subjectam legibus contrà illam lectionem Latis.

III. Etiamsi legibus illis subjecta esset, Illustrissimum Vicarium Apostolicum in iis dispensasse, & generalem facultatem concessisse legendi SS: codices.

IV. Peccatum mortale esse, ad sacram Eucharistiam accedere, nisi quis longa lectione S: Scripturæ, se ad eam præparârit.

V. Si

V. Si qui ipsi legere nequeant, famulos vel famulas conducendos, à quibus prælegatur.

Injungunt peccata confitentibus, loco salutaris poenitentiæ, ut vel certa Scripturæ capita lectitent, vel certo tempore Scripturæ lectioni vacent.

Jis, qui gallicè norunt, commendant super omnia novum Testamentum montense, à Clemente IX prohibitum sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ac damnatum singulari constitutione, in qua declarat pontifex, traductionem illam *temerariam esse damnosam, à vulgata editione difformem, & offendicula simplicium continentem.* Quis credat, nisi reipsa convincatur? En, nova illius testamenti versio flandrica in lucem data est, ad usum vulgarium hominum, in forma portatu commoda, charactere nitido, in duas partes divisa, approbata à duobus censoribus, ad id specialiter deputatis, Paulo Roskam, Embricensium monialium præfecto, & Hugone Gael, Schielandiæ Archipresbytero, impressa Embricæ, apud Florentium Abbama anno proxime lapso 1696. Auctor novæ illius versionis Flandricæ ex Gallica montensi, est D: Ægidius de Witte, alias candidus, non ita dudum Mechliniæ plebanus, sed Jansenismi causâ totâ Brabantia exulans, ac in Hollandia ab Illustrissimo Sebasteno carè habitus. Fassus ille nuperrimè celebri Hagensi librario Adriano Moetjens, apud quem nova illa versio publicè divenditur, se ubique, quam potuit accuratius, secutum gallicam versionem montensem.

Quod autem spectat ad Testamentum vetus, cum hujus versiones catholicæ rariores sunt in idiomate flandrico, reperti sunt, qui nullam se ære difficultatem permittendi lectionem Testamenti veteris, in idioma vernaculum à Calvinistis traducti, dicentes melius esse, sacros codices sic legere, quam omninò ab eorundem lectione abstinere; quæ res legitimo testimonio confirmata est.

At fidem propè omnem excedit, quod anno 1690, librum divulgârint, cui hic est titulus: *Breves ac necessariæ instructiones pro omnibus Catholicis Belgii; circa lectionem S: Scripturæ*, in quo palam insurgunt in Ecclesiam, eamque tanquam crudelem & tyrannicam tradu-

discrimine permittantur, plus indè, ob hominum temeritatem, detrimenti quam utilitatis oriri; hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio parochi vel confessarii Bibliorum à Catholicis auctoribus versorum lectionem in lingua vulgari eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse, quam facultatem in scriptis habeant. Qui autem absque facultate ea legere, seu habere præsumpserit, nisi prius Bibliis Ordinario redditis, peccatorem absolutionem precipere non possit.

Sed quid contra hanc regulam, (prudentissimam æquè ac venerandam, & quæ per plures deindè pontifices, atque etiam per Innocentium XII, qui modò, tanto orbis Christiani bono, Ecclesiæ præsidet, renovata est) opponat dictus Liber? Sanè horret mens Catholica commemorare.

Pag. 21. ait: *Non est in potestate Ecclesiæ prohibere, etiam rudi & imperitæ plebi, lectionem bibliorum. Et Ecclesia, quæ similem prohibitionem attentaret, non foret amplius vera Ecclesia, sed congregatio Satanæ.*

Pag. 22. *Episcopus qui adimeret fidelibus libertatem, quam acceperunt à Deo ipso, & in cuius possessione sunt à tot sæculis, legendi SS: Biblia, non esset Pater & Pastor, sed verus tyrannus.*

Pag. 23. *Episcopi carent potestate probibendi plebi Christianæ Lectionem S: Scripturæ in lingua vernacula.*

Pag. 24. *Esse quidem modò in Belgio quosdam tales episcopos, sed satis constare, quod fuerint à tempore Apostolorum seductores & docentes perversa: atque ex Episcopis non paucos fuisse hæreticos.*

Pag. 28. *Esse hæresim, docere quod non sit laudabile ac utile legere promiscuè S: Scripturam.*

Et certè Auctor libelli, quasi justificans se de excessu, quo in regulam quartam Indicis; sivè in doctrinam, quæ prohibet promiscuam lectionem S: Scripturæ, invehebatur, reipsa excessum magis confirmat, doctrinam illam, hæresim non tam appellando, quam supponendo; dicit enim.

Pag. 17. *Necessarium fuisse, ut ita loqueretur.* (*Nota*) *ad reprimendam hæresim, quæ hoc tempore in Ecclesia maximè invalescit.*

D: Carolus de Bont tractat aliquantò mitius prohibitionem Ecclesiæ de promiscua lectione S: Scripturæ. Enimverò illam *somnium* appellat, *à quo*, ait, *fideles incipiunt expergefieri.* Ita ille in libello suo, *Æquiforme discrimen &c.* Sub init:

Plures

Plures alii successivè prodière libelli, quibus & suadetur, & promovetur promiscua lectio S: Scripturæ. Hos inter hic, ut alios prætercam, cui titulus: *Verbum Dei defensum*, editus Anno 1685. Auctor illius, (ut constans fama tulit) Illustrissimus Castoriensis. Defenditur in libello isto non ipsum verbum Dei, sed libertas illud promiscuè legendi, ita per totum, ac præcipuè Cap. IV. ubi Regula quarta Indicis, quæ est sedis Apostolicæ, dicitur quorundam Cardinalium, ac modò antiquata. Et ille, cui titulus: *Libertas propugnata*. 1. & 2. pars, editus Anno 1687. Auctor D: Andreas vander Schuer.

§. 5.

Praxes variæ observatæ ab Ecclesiasticis in Hollandia.

Non affirmo praxes omnes, ab omnibus universim observatas: ac observari etiamnum omnes; sed observatas has ab illis, illas ab his, & quasdam in alias, nihilomeliores, commutatas.

I. Plures sunt Ecclesiastici in Hollandia, qui confessiones Sacramentales, factas sacerdotibus religiosis, etiam curam animarum habentibus, & pastorales functiones obeuntibus, censent invalidas, vel ob indulgentiorem conniventiam, vel ob non adhibitum requisitum rigorem. Hac de causa exigunt, ut qui se accedunt confessionis gratiâ, exomologesim instituant de peccatis totius vitæ, tametsi confessionem generalem instituerint tempore jubilæi.

II. Interrogationes, quas pœnitentibus proponunt, examinandarum conscientiarum ergò, importunæ non raro, imprudentes, indiscretæ, periculosæ, inverecundæ, præsertim in materia carnis. Multi narrarunt, & tabulis testati sunt, qui ipsii subjerunt examen.

III. Statuunt pro fundamentali regula, quod confessarius posset uti scientia in confessione acquisita, in præjudicium pœnitentis. E. G. Si judicet confessarius ex peccatis, quæ penitens in Sacramento deposuit, officium quodpiam ei noxium fore, aut illum ad officium illud non fore aptum, aut illud in aliorum præjudicium cessurum,

contraxisse judicent, cum tamen ad eam admittant, ditiores, licet laborent hi, peccandi consuetudine in materia graviore.

V. Secundum literam in praxim deducunt, tametsi non respectu ad omnes, id quod docet Arnaldus in suo, de Frequenti communione, libro: *quod ii, qui necdum habent amorem Dei purissimum, & omnis commixtionis expertem arceri debeant à S: Communione*, quantumvis hanc doctrinam Alexander VIII. confixerit.

VI. Negant aliquandò absolutionem, rationem illius nullam reddentes: vel dicunt simpliciter, *Contritio tua satis perfecta non est*, requirentes ad perfectionem illam, ut non sit ex motivo aliquo inferiori, sed merè ex amore Dei. Quod si dimissus sine absolutione post octo vel plures dies ad confessionem redeat, eodem cum responso excipiunt ac dimittunt. Sunt qui decies & pluries sic dimissi sunt, homines etiam magis probi & pientiores.

VII. Pro peccatis, etiam levioribus imponunt pœnitentias graviores, pro occultis nonnunquam publicas: alii sub gravi & intolerabili pœnitentiarum pondere gemunt: alii earundem gravitate deterriti, rarius quam consueverant, ad sacrum pœnitentiæ tribunal & sacram synaxim accedunt; undè & in eorum oratoriis confessiones & communiones rariores sunt, in quibusdam rarissimæ.

VIII. In eorum communitatibus reperiuntur aliquandò adolescentes & puellæ viginti & plurium annorum, qui à divino epulo arcentur. At culpam quidem rejiciunt in eorum imperitiam, cum culpa sit defectus instructionis. Totus eorum zelus in illud fertur, quod plures à communione arceantur.

IX. Contrà eos, qui aliam praxim sequuntur, continuò è cathedra declamant, traducuntque illos ut seductores, animarum interfectores, proditores, similes judæ, imò eo pejores. Tales nominatim auditi sunt Delphis, insolentissime in missionarios, quibus praxim doctrinæ suæ oppositam attribuunt, debacchantes, cum scandalo totius civitatis. Acta illa testimonio legitimo plurium quam decem personarum, quæ ipsemet illa omnia auribus exceperunt, confirmantur.

X. Plures ex hisce Dominis, præsertim, Rotterodami, Delphis, Hagæcomitis, ac in urbium illarum viciniis, administrant Sacramenta, baptismum, extremam unctionem, matrimonium &c. Idiomate vernaculo, nihili ducentes anathema a S: Concilio tridentino ses: 7. Can: 13. vibratum in eos, *qui liberum dicunt receptos & approbatos Eccle-*

Ecclesiæ Catholicæ ritus, (an non inter illos ipsum ab Ecclesia præscriptum idioma?) *in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos omitti, aut in novos alios, per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse.* Sunt, qui formam Sacramentorum ad eandem materiam utroque idiomate, latino & flandrico, pronuntiant, nihil sacrilegii, formâ semel invalidè pronuntiatâ, submetuentes.

XI. In concionibus ac libellis, etiam inter hæterodoxos distributis, carpunt vehementer sumptuosa altarium ornamenta, ac sacrorum vasorum splendorem; quasi indignum sit, quod templorum, altariumque ornatui impendatur, quod in usus ac necessitates pauperum expendi posset. Templorum altariumque ornatum magnificum vocant *luxum* seu *pompam Brabantinam*. Quid? judam imitati, obmurmurant: *Ut quid perditio hæc? potuit enim unguentum istud venundari multo, & dari pauperibus.* Excessit in hoc præ aliis D. J. C. van Erckel, in Epistolis typo excusis, editisque a se sub nomine Joannis Henrici anno 1689. &c.

XII. Plurimi ex illis parum rectè sentiunt de Indulgentiis, concessis ab ipsa sede Apostolica; ac præsertim de iis, quæ animabus purgatorii applicantur per modum suffragii. Undè præcipui eorum vel omnino non publicarunt, vel non nisi frigidissimè publicarunt indulgentias illas universales, quas animabus purgantibus, per modum suffragii applicandas, concesserat Alexander VIII, anno 1690. Indulgentias quod attinet in communione generali, Oratoriis Patrum Soc. affixas, animabus per modum suffragii applicabiles, eas minus quàm alias ferre possunt; pietate quantumvis singulari, & quacunque SS: Communionum frequentiâ, in eas ferantur fideles, hi obloquuntur illis, cum in privatis colloquiis, tum in publicis de cathedra concionibus; eas aliis indulgentiis à se impensè publicatis, vel exstinguere vel saltem aliquantum divertere satagunt.

XIII. Quò ad sanctos; præferunt nonnulli, quod punctum fidei aut credendi obligatio non sit, illos audire preces, quas nos fundimus. Et huic quidem doctrinæ prælusit Illustrissimus Castoriensis in quodam suo volumine, dicto: *Tractatus de Sanctorum, & præcipuè beatissimæ virginis cultu; nam* §°, illius XII, hunc præfigit titulum: *Verbum*, ora pro nobis, *non exigit, ut sanctus, quem exprimis, illud*

sunt in salutatione angelica salutare linguâ suâ; *Gebenedijt zijt ghy boven alle vrouwen. Benedicta tu super omnes mulieres*, gratiam singularem uni super omnes Deiparæ concessam, quæ est immaculata ejus conceptio, quotidiano præconio enuntiantes. Sueti sumus ab omni tempore in symbolo Apostolico flandricè dicere eundem in finem. *Geboren uyt de reyne Maget Maria. Natus ex pura virgine Maria.* Illi immaculatæ virginis conceptioni obliquè adversantes, in salutatione angelica flandrica, sublatis voculis *boven alle*, dicunt: *Benedicta tu inter mulieres*, & in symbolo flandrico sublatâ voculâ *reyne*: *Natus ex virgine Maria.* Quin & prop ignata in Hollandia a Neo Ecclesiasticis Salutatio angelica, quæ Mechliniæ prodierat, relectis his verbis: *Sancta Maria, mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc & in hora mortis nostræ Amen.* Damnata hæc truncata salutatio ab Innocentio IX, eodem decreto, quo damnata est pro tertia vice famosus Catechismus de gratia anno 1690, & propugnatur ab Ecclesiasticis Hollandiæ in libello ipsorum, *Brevis ac soli la demonstratio, quod in Hollandia secta non sit Jansenistarum* pag: 97.

XV. Prohibent matrimonium inire codem die, quo inituri illud, confessi sunt, & S: Synaxim receperunt, suamque, illud ita inire volentibus, assistentiam negant, ne tria, ut aiunt, sacramenta uno die recipiantur.

XVI. Indignius loquuntur de purgatorio, de sanctorum reliquiis & iconibus, de rosariis, scapularibus, chordulis, aliisque id genus pietatis symbolis, atque etiam de piis confraternitatibus à sede Apostolica approbatis, de peregrinationibus ad pia loca &c. Infinitus sim, si novitates recenseam omnes, adeò illæ multæ sunt.

§. 6.

Turbæ, ac commotiones variis in locis exortæ.


Compendio hoc dici possit, Hollandiam universam Jansenianis novitatibus, quà doctrinam quà mores spectantibus, non leviter commotam fuisse; præcipuè verò motus exorti sunt in illa Hollandiæ parte, in qua famolus D: Antonius Arnaldus sedem fixerat: motus in turbas eruperunt: turbæ in tumultus, ac subindè graviores. Tabulas ac testimonia desuper undequaque comparare, turbas novas ac tumultus concitare foret. Motus ejusmodi exorti nominatim Roterodami D: Andrea vander Schuur ante alios Janseniana dogmata hoc loci ebuc

cinante

cinante. Hollandiæ universæ motus innotuerunt, qui exorti in Hilversum, Pastore D. Adriano Smit. Res quoque nota est de Vlaerdinga, Pastore Carolo de Bont. Gorcomio, Pastore D: Balthazare van Wevelinghoven. Dordraco, Pastore D: N. van Gesse'. Gauda, Pastore D. Ignatio Walvis. Cuylenburgo ac Viannis, Pastore D. Andrea Schurio. Niuwcoop, Pastore D. N. Schuirmans. Delphis, Pastore D. J. C. van Erkel. Zevenhoviæ, Pastoribus designatis ab illustrissimo Sebasteno, primum N. van Heyningen, deinde Carolo de Bont. Atque ut verbo rem absolvam: motus exorti sunt per Hollandiam, quotiescunque ferè stationibus novi admovendi Pastores, de novitatibus vel noti, vel suspecti. Nec facilè sedati illi, nisi Neo-pastores sub vestitu ovinæ pellis lupum tantisper tegerent, abstinerentque à novitatibus, donec assignato pastoratui secure insiderent. Pluries coactus fuit illustrissimus Sebastenus Neo pastores ex assignatis pastoratibus revocare, ceu qui invidiæ suorum impares: ultimumque tunc non semel remedium fuit, pastorem assignare, plebi concitatæ ac tumultuanti, qui Romæ Theologiâ imbutus est, quales, sed præ aliis paucissimi, ac Sebasteno minus grati, in missionem modo advenerunt. Qui Coloniæ, aut Monasterv-westphaliæ, vicinis Catholicisque universitatibus, cursu etiam omninò absoluto, imbuti sunt, atque a professoribus commendati, missioni vix admoventur, nisi novum Lovanii colorem bibant; unde solis poenè Lovanii imbutis Theologis, dogmata Janseniana sapientibus, missio tantum non universa, repleta est.

Quid superest nobis miseris Hollandis, qui ea jactamur tempestate, in qua de naufragio agitur salutis æternæ, nisi ut, delatis ad sedem Apostolicam querelis, supremi navarchi vicarium inclamemus, sanctissimum pontificem, rogantes: *Domine, salva nos, perimus*; spe pleni, fore, ut, si ventis tandem dignetur imperare & mari, futura sit tranquillitas magna, & tempestatum.

F I N I S.



EGo infrascriptus attestor, quod ea, quæ in hoc brevi Memoriali ex flandrico idiomate, translata sunt in latinum, fideliter translata sint.

Actum Hagæ 7 Novemb: 1697.

CHRISTIANUS BLEES.
Sacellan: Regius. S. T. L.
Proton: Aplicus M. P,